[redacted]

PERVIGILIVM VENERIS

[redacted]

[redacted]

PERVIGILIVM VENERIS

ADNOTABAT ET EMENDABAT

FRANCISCVS BVECHELER

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCCLIX.

[redacted]

LIPSIAE TYPIS B. G. TEVBNERI.

SODALI COLONIENSI

[redacted]

[redacted]

Peruigilii Veneris, quod ad emendandum post tot uiros doctos non nihil conferre me posse puto, secundus uersus, a quo carmen incipit, in Pithoeano libro hic est:

Ver nouum, uer iam canorum, uer natus orbis est

unde Pithoeus effecerat *uere natus orbis est ὑπερφυῶς*, ut demonstrauit Antonius Moebius interpretationis Germ. p. 18, Lipsius perquam illepide atque indigne poeta *uer renatus orbis est*, H. Sauppius (nam aliorum inuenta commemorare inutile est) *uer! renatus orbis est.* Quod quamquam belle excogitatum est, probare tamen nequeo: nam et exclamationem huiusmodi, cuius exempla frustra quaesiueris, antiquo poetae tribuere dubito et aegre fero interruptam hac ratione repetitionis figuram, qua uis et grauitas ineuntis carminis continetur: *uer nouum: uer iam canorum: uere natus orbis est: uere concordant amores: uere nubunt alites.* Praecipuum autem argumentum cur et Sauppii et reliquas coniecturas omnes reiciam hoc est, quod auctoritate nituntur Pithoeani libri, non Salmasiani. *Etsi enim* ex eodem utrumque archetypo quam

Pithoeanum ex Salmasiano fluxisse ueri similius est, tamen hic duobus ante illum saeculis multo melius descriptus est, quod satis inde elucet quod a Salmasiano seruatus uersus 40 totus deest in Pithoeano. Sique leuiores exceperis corruptelas quales nullus non librarius aut errore aut praua pronuntiatione admisit, nihil reperies in Pithoeano, quo praestet Salmasiano. Leuiores autem nunc dico singulas singulorum in exitu potissimum uocabulorum corruptelas, quae quo modo natae sint non difficile dictu est, uelut omissum u. 51 in Salmasiano *flores*, u. 73 *samnes* pro *ramnes*, u. 85 *quinni* pro *cigni* uel *cycni*, u. 64 *procreatis* pro *procreatrix*, u. 58 DUOAD pro DUCAD uel DUCAT, u. 66 TENDEREM pro TENOREM, similiaque non pauca. At difficilis erit expeditu u. 2, si quidem *orbis* erat in archetypo, origo eius scripturae quam Salmasianus exhibet: *uere natus iouis est.* Immo hanc equidem ueram primarii libri memoriam esse existimo, quam cum non intellegeret Pithoeani libri scriptor, *iouis* mutauit in *orbis*. *Iouis* enim non genetiuus casus sed nominatiuus est pro eo qui in usu magis erat *Iuppiter*, id est *Iouis pater*. Illa vero forma, quoad Latina lingua loquebantur, ita obtinebat, ut uetustioribus temporibus peruulgata esset, tum postea quam altera *Iuppiter* forma inualuit finibus con*tineretur plebei et* rustici sermonis, denique circa

[redacted]

Hadriani aetatem antiquam dignitatem recuperaret. Vtebantur igitur *Iouis* nominatiuo Naeuius, Pacuuius, Ennius, Attius, Caecilius, Varro, Nigidius cum asseclis interprete Germanici et Ampelio, Hyginus, Petronius, Gellius, Apuleius, alii, et quemadmodum in Afro illo titulo cui σύνοψις ἀναθημάτων inscripta est apud Henzenum 6139 *Iouis Victor argenteus* legitur uel in sorte Apollinis apud Apuleium metamorphoseon IV 33 *quo tremit ipse Iouis*, ita ignotus scriptor Peruigilii, quem Apuleio fere aequalem iudico, nominatiuo casu dixit *Iouis*. Neque hunc poetam improbabile est uere natum Iouem finxisse, quam fabulam alias non inuenio traditam. Nam ut uernis imbribus sacras Iouis et Iunonis nuptias alii factas esse credebant, ita non abhorret a Iouis mythologia quod uere natum eum esse alii fabulabantur. Et ut u. 78 Amorem ager peperisse noue dicitur — neque enim commune quidquam haec fabula habet cum illa quam ueteres Graeci poetae celebrauerunt de Cupidine cosmogonico, sed habet cum ea quam Tibullus II 1, 67 tetigit: *Ipse interque greges interque armenta Cupido Natus et indomitas dicitur inter equas* — ita hoc loco quo uis ueris uniuersa describitur, non dubito quin tunc natum Iouem esse potuerit poeta fingere. Quare quoniam poetae esse hanc sententiam arbitramur, quam Salmasianus liber habet, reliquum est ut metro consulamus transponendo uocabula: nempe cum

omnium carminum tum Peruigilii complures uersus male cadentes hoc quasi adminiculo sunt erigendi. Totumque exordium constitui sic uolo:

Ver nouum: uer iam canorum: *uere natus est Iouis:*
uere concordant amores: uere nubunt alites,
et nemus comam resoluit de maritis imbribus.

Nonum uersum non potuisse a poeta subici septimo et octauo, postquam Lipsius huic strophae minimum senos aut septenos uersus deesse adnotauit, primus ostendit Heidtmannus: adstipulati sunt anonymus editor Lipsiensis et Otto Muellerus 'de P. Annio Floro poeta' (Berolini MDCCCLV), aduersatus ut fere nullum in pertractando Peruigilio iudicium praestitit, Freius musei Rhenani noui X p. 197. Qui quod *tunc* particulam se posse *cras erit quo* interpretari opinatur, eo artificio utitur quod cum olim interpretes habuissent in deliciis, nostra aetate vix invenitur qui non derideat. Recte autem idem Heidtmannus hos uersus, quibus nata caelesti sanguine et spuma marina Dione celebratur, apte uidit conuenire in eum locum quo Aetheris et Telluris nuptiae commemorantur. At errauit in eo quod u. 9, 10, 11 hinc expulsos inter u. 62 et 63 interposuit: neque enim ordinem uersuum par est talem restitui, 'ut festi celebrandi notio et totius naturae initium Venerisque ortus in medio tandem carmine explicentur, postquam antea iam de ipsius ui procreatrici di-

[redacted]

ctum est, qua terram fecundet'. Haec qui sensit uerissime, Otto ille Muellerus quoniam uersus 59—62 in alteram stropham translatos collocauit ante u. 9, ingressus quidem rectam uiam sed non persecutus est. Nam qui fieri potest, ut u. 13 et deinceps uim Veneris poeta laudet, tum sensibus inter se iunctis atque ita cohaerentibus, ut non offendas in commissura, ad crastini diei sollemnis apparatum transeat, tum u. 63 abrupta hac quam inchoaverat narratione rursus uim atque potentiam deae et eam quidem, ut aiunt, ab ouo repetat, tum u. 81 rursum quasi proclive labatur ad descriptionem sacrorum quae appetebant? Immo certum est (confidenter autem licet decernere hanc rem, quae semel cognita omnibus probabitur quicunque Bentleianum illud 'noli librarios solos uenerari, sed per te sapere aude' didicerunt) uersus a 59 ad 79 cunctos octauo uersui subiungendos eisque uersus 9—12 sic inserendos esse ut ante u. 63 legantur. Iam hac ratione si uersus disposueris, totum uno tenore carmen procedet neque institutum poetae rationemque erit quod reprehendamus. Primum exorditur a caussa festi celebrandi ortuque Veneris, deinde deae exponit potestatem et bene facta, denique instantis peruigilii apparatum usque ad initium eius deducit. Iam bene in primam carminis partem Veneris incidit fabula natalicia, iam bene genetricis omnium rerum descriptio incipit ab illis Ipsa uenas atque

mentem eqs. tanquam ab argumento uel titulo deinceps sequentium uersuum, iam bene cum ruribus consociantur flores atque rosae, iam bene uersum 56 ita uersus 80 excipit, ut adpropinquantis Veneris, quam ante iuere sodales eius Nymphae, animalia quoque uim diuinam persentiscant. Sin autem originem eius corruptelae quaerimus quam in Salmasii Pithoeique codicibus uidemus, uidetur in primario libro foliorum ordine perturbato illud unum folium quod uersus a 59 ad 79 complectebatur praue collocatum, uersus uero 9—12 alia de caussa, quam sum narraturus, omissi a librario extra id folium uel in margine alterius uel in scheda appositi fuisse, quo factum est ut seorsum ab illis scriberentur post u. 8. Debebat enim librarius uersui, qui nunc est 61 *In sinum maritus imber fluxit almae coniugis*, statim continuare nonum *Tunc cruore de superno spumeo pontus globo:* uerum perperam post u. 61 inseruit carmini ea uerba quae scripta repperit in margine *Vnde fetus mixtus omnis aleret magno corpore.* Itaque cum reuerteret a margine oculos ad perpetuitatem orationis, quattuor illis uersibus 9—12 praetermissis transiliit ad nonam stropham *Ipsa uenas* eqs. Ni mirum qui fertur uersus 62 *Vnde fetus mixtus omnis aleret magno corpore,* eum quidem a poeta prorsus abiudico ut qui ab *interpolatore uel potius* interprete adscriptus sit. *Ac primum quidem* non est uersus, nam metrum

[redacted]

claudicare anapaesto prima tertiae dipodiae sede posito pro trochaeo uel tribreui Schulzius recte monuit. Neque si qui aut metricae artis paullo accuratiorem sibi notitiam comparauerit aut uniuersum hoc carmen diligentius perlustrauerit, uel hunc uersum tuebitur uel u. 35 *Totus est in armis idem, quando nudus est Amor* (Schulzium enim codicum scripturam *inermis* obtinentem nihil moror) quem Scriuerius Bouheriusque sic transponendo emendarunt *Est in armis totus idem quando nudus est Amor*, uel u. 55 *Iussit omnes assidere pueri mater alitis* anonymi Lipsiensis stultitia deprauatum quem poeta fecisse ita potest *Iussit omnes assidere mater alitis dei*, uel u. 91 *Perdidi Musam tacendo nec me Phoebus respicit*, cuius correctionem Schulzius hanc proposuit *meque Phoebus respuit*, probabiliorem, puto, in commentariis Riuini Thomasius *nec me Apollo respicit*. Versum autem 62 Sanadoni olim et nuper Lipsiensis editoris insulsitatem expertum ne posse quidem contendo emendari, quia transpositis uocabulis omnino nihil efficitur, neque uerba ipsa debent mutari, ne pereat imitatio Vergiliana. Nam qui haec scripsit, aperte imitatus Vergili Georgicon II 327: *Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether Coniugis in gremium laetae descendit et omnis Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus*, uoluntate et *iudicio* non sententiam modo eandem sed etiam

[redacted]

eadem uocabula adhibuit, quorum unum, uelut *magno*, qui mutauerit, officere is scriptoris consilio credendus est. Iam vero si quidem illa ipsa uerba accommodari metricae rationi nequeunt, non factum a poeta hunc esse uersum consequitur. Accedit quod sententia quam u. 62 habet etiam otiosa est hoc loco: quoniam enim Aetheris cum Tellure conubii non fit mentio nisi ut inde natam Venerem esse addatur, quod Heidtmannus p. 52 obseruauit, properasse poetam consentaneum est ad hunc finem. Atque praeter Venerem reliquos omnes fetus nuptias illas esse consecutos eo minus oportuit addi uersu 62, quod in transcursu simile antea iam significauerat u. 60. Itaque u. 62 concludo deberi interpolationi, cuius caussa facillima explicatu est. Cum enim Vergili illa de eadem fabula uerba in margine scripta essent comparanda ad Peruigilii u. 60, in continuum carminis ordinem ita librarius ea adsciuit, ut quantum fieri poterat, redigerentur ad trochaeos: quale artificium praeter alios maxime Plautinis fabulis adhibitum esse constat. Quin etiam uestigium istius interpolationis hoc mihi uidere uideor, quod Pithoeanus liber non *Vnde* sed *Vt* exhibet, ut uersus euadat externa specie simillimus uersui 60 *Vt pater totis crearet ueris annum nubibus*. Nempe egregie falluntur qui secundum Salmasianum exemplar ediderunt *creauit* non habita mythicae imaginis ratione, quoniam Aether non simul atque

annum creauit, in sinum Telluris effusus est, uerum postquam imbres suos in gremium matris terrae praecipitauit, nata est rerum uniuersitas. Restat ut firmissimum adferam argumentum, cur insiticius u. 62 putandus sit: hoc enim deleto parem omnino et aequalem priori strophae formam recuperauimus alterius, quae totidem id est sex hos uersus comprehendit: 59, 60, 61, 9, 10, 11. Nam in stropharum compositione legem nullam qui secutum esse poetam statuit, quia non uerae strophae essent, ante omnia is, nisi sensu omni poeticae artis careat, uelim explicet quidnam scriptor Peruigilii aliud spectarit cum singulas carminis particulas uersu intercalari distingueret, nisi certam congruentiam et aequabilitatem, aut casu quo facta conuenientia sit uersuum 28—35 et 49—56 uel 37—47 et 81—92. An qui sine inuidia iudicat nec micas auri spernit quae ex arena fluminis limosi possint elauari, dubitabit quin recte Lipsiensis anonymus uersum 58 transposuerit ante u. 40? quamquam eius uersus sententiam inepte exposuit 'ut umbrae arborum nascentes flores a calcatione tutos praestent, ut flores sub arborum umbraculis tuti crescere possint'. Quin potius ablatiuum casum *recentibus floribus* iungas cum *uirentes* atque *umbras uirentes recentibus floribus* componas cum u. 6 *Implicat casas uirentes de flagello myrteo.* Commode uero ducere id est *induere* nemus umbras dicitur collatumque a

Muellero p. 25 est ad Flori epigramma de uino dicentis *Conditumque fac uetustum, ne malignis uenulis Asperum ducat saporem.* At quod ex similitudine huius usus aliarumque rerum Muellerus rursus eundem Florum scripsisse Peruigilium collegit, suo unusquisque arbitratu aut credat aut neget: opinionum tantummodo nomine tales coniecturae dignae sunt, quibus nec redarguendis nec demonstrandis idonea nobis documenta suppetant.

Ad alteram stropham reuertor. Cuius primus uersus in Salmasiano editionibusque sic legitur: *Cras erit, quo primus Aether copulauit nuptias.* Idemque *quo* uocabulum restituendum Lipsius esse coniecerat, cum Pithoeani auctoritate *qui* uulgaretur, quod Schulzius non debebat poetae tribuere antiquum sermonem affectanti. Verum ne Salmasiani quidem memoriam defendo, quia Latine aut *crastinus dies erit quo* aut *cras erit cum* effertur, itaque poetam scripsisse aio: *Cras erit, quom primus Aether copulauit nuptias.* Grauiorem autem corruptionem extrema uersuum horum uerba passa sunt:

Tunc cruore de superno spumeo pontus globo
caerulas inter cateruas, inter et bipedes equos
fecit undantem Dionen de maritis imbribus.

Vbi *maritos imbres* appellari 'spumam et cruorem sane quam eleganter' Lipsius opinabatur, quod nos secus existimamus. Nam super quam

[redacted]

quod spuma sanguini commixta non maritantur imbres, etiam perabsurdus ille poeta foret si eandem rem eodem enuntiato bis sic indicasset: *Tunc de superno cruore, spumeo globo Pontus peperit Venerem de maritis imbribus.* Paululo prudentius alii *de maritis imbribus* pendere ex *undantem* statuentes maris aquam intellexerunt. Et *de* quidem praepositionem, nisi forte parum uenuste post *superno de cruore* eam repeti tibi persuadeas, nullam offensionem mouere concedo, tametsi Orellio non assentior praecipienti 'praepositio *de* apud nostrum poetam quamlibet fere habet significationem'. Immo uero certis circumscriptus finibus huius uocabuli usus est in Peruigilio: ex uulgari consuetudine poeta sumpsit u. 88 *queri de marito barbaro*, ad aliorum exemplum poetarum *ex* praepositionis notionem expressit u. 71 *Marti de sacello dat pudicam uirginem*, suae aetatis more causam uel materiam, qua quid fieret, significaturus dixit u. 4 *nemus comam resoluit de maritis imbribus*, 6 *inplicat casas uirentis de flagello myrteo*, 9 *cruore de superno — Pontus — fecit undantem Dionen*, 14 *surgentis papillas de fauoni spiritu*, 17 *lacrimae trementes de caduco pondere*, 23 et 24 *facta Cypridis de cruore deque Amoris osculis deque gemmis deque flammis deque solis purpuris*, 39 *ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus* (cf. Muellerus p. 18). Neque igitur ullo modo probari Orelliana eius de quo agimus

[redacted]

loci explicatio potest 'fecit undantem *huc illuc per* marinos fluctus'; posset, si quidem mariti imbres dicerentur maris undae, Schulziana 'fluctuantem impulsu undarum' aut quae etiam potior mihi uideretur, 'fluctuantem ex undis', ut origo in mari simulque in terram aduectus deae intellegeretur et similis sententia illi existeret quam hymni sexti Homerici u. 4 legimus: *ὅθι μιν Ζεφύρου μένος ὑγρὸν ἀέντος ἤνεικεν κατὰ κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης ἀφρῷ ἔνι μαλακῷ*. Verum tamen *de maritis imbribus* longe aliud ualet atque *de maris fluctibus*, nam primum *imbres* appellari ab hoc poeta undas nego. Ac Moebius quidem p. 21 undas accipit imbribus ortas, quemadmodum Anacreontei 21 uersu illo *πίνει θάλασσα δ' αὔρας* humidis pluuiisque auris crescere mare statuatur. Quod utpote ultra modum argute excogitatum transeo: transiens autem contrariam Anacreonteo illi sententiam protulisse carminis de Oceano scriptorem adnotabo, quod in anthologia Latina est Burmanni V 113 et Meyeri 1056, cuius sextum uersum sic emendaui: *Te potant nubes, ut reddant frugibus imbres*. Reliqui Peruigilii interpretes idem esse *imbres* et *fluctus* demonstraturi ad Seruium prouocant ueteres omnem aquam imbrem dixisse testantem et ad Ennianum 'ratibusque fremebat Imber Neptuni' et ad uniuersum usum poetarum. Sed tantum abest im*brem ut antiqui* quemuis humorem uocarent, ut

[redacted]

eo uocabulo non uterentur nisi sicubi in imbris modum cito ac uehementer decidentem influentemue aquam cogitarunt. Deinde ne nude quidem dixere imbrem, uerum addiderunt uel substantiuum ut Ennius et Ouidius *Neptuni* et *aequoris*, uel adiectiuum maris proprium ut Valerius Flaccus naturae conuenienter *spumeus:* Vergilius autem Aen. I 123 'laxis laterum conpagibus omnes' naues 'accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt' tale uocabulum omisit plane nulla orationis ambiguitate. Tum imbres non appellauerunt fluctuantes maris undas numero pluratiuo, sed imbrem singulari rapidum mare ipsum. Denique Peruigilii u. 4 et 61 quibus *imbres* et *imber* commemorantur, communem secutus usum loquendi poeta 'agmen aquarum largius ex concretis nubibus effusum' indicauit. Porro *maritis* etsi plures patronos nactum est, necesse tamen est condemnari. Quod minus recte illi interpretabantur 'fecundis gignendique ui praeditis', quando quidem ueras nuptias hoc uerbo poeta intellegi uoluit u. 61 Aetheris atque Telluris et u. 4 imbrium arborumque, ubi resoluere comam nemus dicitur de maritis imbribus quemadmodum uiris maritis puellae resoluunt zonam. Iam uero maritatis caelesti sanguini fluctibus procreatam Venerem esse si praedicare poeta etiam disertius in animo habuit—nempe planissime cecinerat Tunc cruore de superno *spumeo Pontus globo*— fecit undantem Dionen

id est 'ex Caelo Pontus peperit Venerem' — haec uerba *de maritis imbribus* nec duorum interuallo uersuum separare ab illis *cruore de superno* neque *undantem* participio subicere debebat, sed coniungere ab initio *de superno cruore* et *maritis imbribus*. Tale quid dubito an senserit ab intellegendo alienissimus homo, Andreas Riuinus, praeferendum *de marinis imbribus* esse opinatus, quod cupide arripuerunt editores plerique, nullus argumentis stabiliuit. Et ut leuiter iactum est a Riuino, ita leui opera potest refutari. Nam neque grauissimus ille scrupulus eximitur quem *imbres* pro fluctibus positi iniecerunt, et eo ipso, quod Wernsdorfium ut legere *marinis* mallet commouit, 'cum ingrata sit repetitio ex uersu 4', nos adducimur ut disputemus in contrariam partem. Memorabilem hac de re Orellianam adnotationem subscribo: 'patienter ferendus est lusus uersuum inter hunc uersiculum et u. 4 *de maritis imbribus*, in quo aliquando offendebam'. Offenderat autem optimo iure. Ni mirum saepius poetae unum pluraue uerba, quibus cum praecipua sententiae grauitas contineatur maxime imbui legentium animos uolunt, intra paucorum uersuum spatium repetunt et ita quidem repetunt ut eundem utique uersus locum obtineant: ex quo genere plurimae sunt in lyrica potissimum poesi *repetitiones, in quam* uenustatis atque elegantiae *quantum inde redundet*, uel unum illud Catulli

declarat 'Passer mortuus est meae puellae, Passer deliciae meae puellae'. Itaque cum ab eo discesseris quod maritos imbres abhorrere ab hoc loco effeci, per se nihil habet cur improbetur uersu 11 iteratus quarti uersus exitus *de maritis imbribus.* At contra *marinis* si scripsisset poeta, non modo non laudem meruisset sed ne uitasset quidem culpam. Quoniam enim clausulae uersuum 4 et 11 sententiis omnino dissimiles non interiore colligantur necessitudine quae praesidio sit exteriori consonantiae, litterarum et sonitus haec similitudo *de maritis imbribus* et *de marinis imbribus* assignanda aut neglegentiae scriptoris foret, qui non commeminisset eius rei, aut insulsitati, qui sibi ortum deae praedicanti magnifice atque elate idem licere putaret quod Laeuium decuerat in nugatoriis epigrammatis sic iocantem: 'Lex Licini intro ducitur, Lux liquida haedo redditur'. Quicunque uero artificiosum politumque hoc carmen perlegerit, profecto is dissuadebit ne suspectum poetam habeamus aut de neglegentia aut de istiusmodi insulsitate: immo potius Riuini inuentum inutile e u. 11 deiciet in uastam futilium commentariorum congeriem, quorum ille tenebris lumina ipsius carminis obscurauit. Sed ut ad finem huius ratiocinationis perueniamus: non dixit poeta *de maritis* vel *de marinis imbribus*, *neque* corrupta haec alterius scripturae uestigia *sunt*, uerum tota illa uerba librarius e quarto

uersu repetiit, quem ad errorem eo procliuior erat, cum hi uersus extra reliquorum ordinem, prope fortasse a u. 4, collocati essent. Ergo principalis extremi uersus forma coniecturali arbitrio permittitur restituenda. Sanadonus autem, cuius temerariam alioqui lubidinem detestor, quod hoc loco suppleuit *fecit undantem Dionen in marinis fluctibus*, potuit id quidem poeta scribere, uerum aliquanto tamen ueri similius est additam fuisse aliam rem nouam, uelut epitheton Veneris, quia maris fluctus exquisitius u. 10 describuntur.

Finitum iam est prooemium carminis uel pars prima qua crastini diei religionem et sanctimoniam in Veneris honorem celebrandi peruigilii poeta pronuntiauit. Subsequitur praemisso uersu intercalari media pars atque si quidem ad festae laetitiae celebritatem plurimum dignitas ipsius deae et auctoritas ualet, maxime necessaria, qua ex memoria originis Veneris hymnum nectens facta laudesque canit. In quibus cum summatim exponendis primae strophae uersibus quinque 63—67 uersatus sit, tum ea singillatim secunda stropha (u. 69—74) persequi coepit, quam item quinque uersibus poeta composuit, alius maiorem in numerum auxit commentus hunc u. 72 *Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias.* Vbi primum insolenter *Romuleae* nuptiae uidentur intellegi non *Romuli*, quippe qui certe non *Sabinas* duxerit ne-

[redacted]

que Ramnes et Quirites et nepotem Caesarem inde genuerit, sed Romanorum: reliqui autem poetae ut par erat non appellauere Romuleum nisi quod pertineret ad ipsum Romulum, qualia sunt exempla Forcellini studio congesta: Romulea fera id est lupa, Romuleo traiectus Amulius ense, multa Romulea bella peracta manu, Romulea casa in Capitolio, Romuleo recens horrebat regia culmo, Romuleum limen id est Palatium, Romulei muri, Romulei colles, Romulea urbs, quibus addas Calpurnii eclog. I 66 'Altera regna Numae, qui primus ouantia caede Agmina Romuleis et adhuc ardentia castris Pacis opus docuit'. Transeo *nuptias* illas innuptas, ut ait Lipsius, quas excusari facile posse intellego, tametsi Riuinus non apta utitur excusatione, quod u. 3 uere nubere alites dicantur, scilicet fere eadem translationis figura quam inesse in u. 4 supra scripsimus. At iustiorem in offensionem *fecit* uocabulum incurrit: nam quod Muellerus p. 25 'uerbum *facere* et *fieri* latissima significatione non nusquam odiose in Peruigilio adhibitum quater' reprehendit — sunt autem reliqua exempla haece: u. 11 *Pontus — fecit undantem Dionen,* 23 rosa *facta Cypridis de cruore deque Amoris osculis*, 90 *quando faciam uti chelidon, ut tacere desinam?* uel potius *quando fiam uti chelidon et tacere desinam?* — maxime hoc *loco improbandum est in quem incommodissime est* adsumptum. Quia enim proprie nuptias

is facit qui ipse init matrimonium, ambiguitatis crimine illud *ipsa fecit cum Sabinis nuptias* nequaquam eximes. Tum sententiam si spectamus, licet uenerationis ergo poeta res a dea gestas amplificans hoc sibi indulserit ut coniugium quoque cum Sabinis Romanorum fingeret eius opera consilioque adiutum, nimium pia fraude peccauit, si Venerem tamquam proximam caussam illud dixit fecisse, id est perfecisse atque absoluisse. Qualem eum fraudem eo minus commisisse crediderim, cum u. 69 et 70 non discesserit a uulgatis opinionibus quas auctoritas poetarum uidebatur confirmasse. Atque aliud erat, a dea deo Marti aditum ad Ream Siluiam patefactum, aliud Sabinarum raptum uirginum ab eadem ortum esse sumere: etenim in illa ut omnino fabulari historia audacius aliquid comminisci licuit, hoc autem facinus, quod et re uera factum credebatur historiarum fide neque confectum nisi arte et ratione humana, diuino totum numini tribui non poterat, saltem non debebat. Sed his quae et spinosiora esse et leuiora fateor, suppetias alia ferent grauiora. Quod enim grammatica lege *unde* pronomen, a quo proximus uersus incipit, ad Romuleas cum Sabinis nuptias referre iubemur, nego id in poetae cogitationem conuenire. Iuliae quidem gentis atque Caesarum originem nota est fabula duci *a Venere, uerum* quis irrisu non insectaretur hominem *tam peruerse* illa historia usum, ut ex Sa-

[redacted]

binarum cum Romanis matrimonio Venerem creasse nepotem Caesarem subiungeret? Porro uersu 73 uniuersitatem populi Romani uidemus in Ramnes et Quirites distribui, quorum notiones nominum ut probabiliter euoluantur, statuendus est poeta secundum Romanae historiae memoriam (cf. Liuius I 13. 17. 33) ueteres ac nobiles Romanos separasse a peregrinae plebis ignobili multitudine: iam uero qui fieri potest ut hoc loco, quo propriae gentis Romanae fabulae populares exornantur, celsi illi Ramnes, qui ante adscitos in ciuitatem Sabinos Romuli imperium fundauerant, creati dicantur ex Romanorum et Sabinarum coniugio? Videas etiam Beckeri antiquitates Rom. II 1 p. 24 n. 36. Atque omnino cuncti populi Romani initia, hoc est Ramnes et Quirites quo modo scriptori Romano referre ad Sabinarum raptum licuit? Denique *crearet* u. 74 duabus accipi rationibus potest, quas ante iam indicauimus, neutra uero satis bene: nam si Romuleas intellexeris Romuli nuptias, uerbum illud ad Romulum pertinebit simpliciter, qui neque ciuitatem Romanam nec nepotem Caesarem inde procreauit neque omnino liberos habuit. Sin autem nuptias intellexeris Romanorum, tamquam Romuleorum, ipsa significatur Venus, quae quam apte Aeneadum uel Caesarum genetrix uocatur, tam male e Romuleis cum Sabinis nuptiis Ramnes et Quirites creasse dicitur. *Itaque* non recte u. 73 et 74 procedere col-

ligo, si praegressus u. 72 fuerit. Quem uersum quibus iam impugnauimus argumentis e uerbis et sententia repetitis, eis nunc firmissimum hoc addo quo ipse se interpolator prodidit, uersuum legis et modificationis ignorantiam. Etenim *Romuleas* uocabulum quod choriambi mensuram aequat, paenultima syllaba producta posuit pro epitrito siue ditrochaeo, defensus quidem ab Sanadono et Freio. Quorum tamen illum producta Graecae originis uerba velut *Daedaleus* comparantem Schulzius refellit, hic inepte Ritschelii appellat de sepulcro Furiorum Tusculano disputationem grammaticam, secundum quam *Romuleas* producta forma aut fortasse *Romuleias* explicari posset; quasi eadem aestimatione *Canuleius* similiaque nomina et *Romuleus* adiectiuum metienda essent aut eadem quae Furiorum illorum et Scipionum temporibus prosodia ualuit in uersus poetarum caderet Hadriani aetati siue aequales siue posteriores. Quidni ad ambiguitatem illam quam loqui solent nominum propriorum malimus prouocare uel ad uim arsis uel ad aliena ab omni carminum arte humilis plebis monumenta quibus huiusmodi hexameter uersus inscriptus est: *His iacet exanimis tumulis Aelia Sabina* (Burmannianae anthologiae IV 70, Meyerianae 1214)? Verum omissis nugis, qui defenderunt illum ditrochaeum, non magis errarunt quam qui *mendose descriptum Romuleas* uocabulum *coniecturaque esse* emendandum arbitrabantur. Vt

[redacted]

Scriuerium praetermittam qui mente captus haec commendauit *Romulumque: cum Sabinis ipsa fecit nuptias*, uiolauit purum sermonem Latinum Pithoeus (immerito autem hac in culpa posuere Lipsium interpretes), cum 'uersus rationem exigere ut scribatur *Romulaeas'* adnotaret. Nec probabilius Riglerus proposuit *Romulares* 'formam tunc temporis pluribus usitatam' teste Orellio, sed qua nemo usus est ante corruptam omni ex parte sermonis integritatem nisi qui ficum Ruminalem olim Romularem uocatam esse finxerant ad obscuri nominis originem illustrandam. Lipsiensis autem editor quod inuenit *Romulas et*, id maxime etiam uituperandum eŝt, non quo uere hoc aeque incertum atque *Romulares* Freius dixerit, quoniam Romula tellus apud Vergilium legitur et Horatius Augustum adloquitur 'Diuis orte bonis, optime Romulae custos gentis', sed quia *ipsa* pronomen poeta quo maiore ui efferretur, semper *ἀσύνδετον* esse uoluit, copulatiua particula superiori enuntiato adiunxit nusquam: de quo artificio iste editor non obseruato parum caute detraxit. Conferas uersus 13 14 15 22 28 (40 41) 49 63 69 70 (77) 78 79. Et ut horum uirorum opera frustra fuit, ita posthac quicunque emendare *Romuleas* tentabunt, uereor ne periclitentur fama ingenii: totum enim uersiculum 72 iterum commoneo carmine summouendum esse. *Quo facto* quae uerba deinceps subsecuntur uer-

sui 71 continuantur aptissime: Venus Marti de sacello dedit uirginem, ut ex ea populum Romanum et Caesarem crearet. Nam *unde* poetas significare *ab* uel *ex quo* et *qua* et *quibus* in scholis magistri nos docuerunt interpretati Horatianum illud 'multaque merces unde potest tibi defluat aequo ab Ioue Neptunoque sacri custode Tarenti'. Atque cum eiusdem Horatii uersibus 'siue neglectum genus et nepotes respicis auctor' totius gentis Romanae origo conditori Marti adscribatur, tum nihil poetae puto obstitisse quo minus per progeniem posterorum Caesarem quoque Martis genere ortum esse diceret (cf. Prelleri mythol. rom. p. 391 n. 1). Veneri autem satis ampla laus eo obtingit quod Martis cum Rea Siluia coniugium conciliauerat, qua re sic gloriantem deam Statius induxit siluarum I 2, 191 'Quis septemgeminae posuisset moenia Romae, Imperii Latiale caput, nisi Dardana furto Cepisset Martem, nec me prohibente, sacerdos?'

Sed restat grauissima difficultas, cui dubito num meae uires tollendae sufficiant, in postremo huius strophae uersu quem utriusque libri memoria sic testatur:

Vnde Ramnes et Quirites proque prole posterum
Romoli matrem crearet et nepotem Caesarem.

In priore quidem uersu qui *perque prolem posteram scripsere,* Scriuerius et Lipsiensis editor

et sine omni ratione expulerunt *posterum* genetiuum et *proque prole* mutauerunt praeter rem: nam facile, credo, si nepotem Caesarem deus creasse laudabatur, quiuis intellegebat factum id esse per progeniem posterorum neque ipsum hoc a poeta apertius significari necessarium erat. Bene uero *pro prole posterorum* addidit, quibus uerbis numen Caesarum salutare et tutelare denotaretur. Iam vero *Romuli matrem* falso inlatam huc esse Pithoeus et Lipsius senserunt, quorum de coniectura *patrem* paulo post dicam. Scriuerius igitur proposuit *mater* quod etsi habet soloecismum, tamen nec Wernsdorfio displicebat nec Freio, qui uellem explicasset quo modo *unde mater* id est Venus *Ramnes et Quirites proque prole posterorum Romuli et nepotem Caesarem crearet* in unam enuntiationem coirent. An secundum Scriuerium *perque prolem posteram* scribi uoluit, ut et per posteros Romuli et per Caesarem mater Ramnes et Quirites diceretur creasse? Ab hoc quidem peccato Moebius temperauit cum ex Scriuerianis ineptiis hoc portentum eliceret: *unde* Venus *matris* id est Veneris uel suum *crearet te nepotem Caesarem*. Aemulatus Scriuerium Sanadonus est his nugis: *unde Ramnes* id est equites *et Quirites* id est plebem *proque prole postera Romuli patres* id est senatores *creauit et nepotes* Caesares, in quibus anonymus *Lipsiensis* acquieuit, nisi quod Scriuerii perque

prolem posteram et librorum *crearet* seruauit. At huius enuntiati sententia quo reficeretur in melius certe *patres* non debebant accipi senatores sed coniuncti cum nepotibus *Caesares*. Praeiuerant autem in hanc partem Pithoeus Lipsiusque et eorum auctoritati qui paruerunt editores plerique, sic corrigentes: *unde Ramnes et Quirites proque prole posterum Romuli, patrem crearet et nepotem Caesarem.* Nolo inquirere quid poetam mouerit procul ab imperatoris Augusti aetate disiunctum, ut Caesares ipsos illos diuum Iulium et diuum Augustum — hos enim interpretes intellegere solent — appellaret uel quo iure Iulium Caesarem patrem et Augustum dixerit nepotem Caesarem uel cur ita uerbis collocatis non *Caesares* potius scripserit. Certiore enim iudicio uitiosam Pithoei et Lipsii scripturam esse hoc cognoscitur, quod *Romuli* genetiuus, quamuis arte cohaerens *posterum* uocabulo, diremptus ab eo neque eidem uersui sed inferiori insertus est, quam rem plane abhorrere ab arte huius poematis reliqui uersus ostendunt omnes. Nam cum curiose in uniuersum poeta intenderit ut in uno quoque tetrametro integra concluderetur sententia et uersus forma concinnitasque enuntiati congrueret, tum hoc non admisit ut tanta necessitudine coniuncta uerba, quanta cum *substantiuis* suis genetiui deuinciuntur, diuelleret *diuersisque* uersibus disponeret. Legitur quidem

u. 67 a reliquorum serie uocabulorum separatum *Imbuit*, uerum tamen ut est exemplum singulare, ita eam habet excusationem quod inciditur post illud uerbum oratio et distinguitur, quo fit ut *Imbuit* ad superiorem uersum accedat commodius. Genetiuum uero a substantiuo suo distractum in alterum uersum, quantumuis multa haec exempla sint in uersuum clausulis: *inter umbras arborum, de fauoni spiritu, deque Amoris osculis, deque solis purpuris, poetarum deus, puellae montium, mater alitis, nascendi uias, balantum greges, subter umbram populi*, nusquam inuenio praeter u. 15: *ipsa roris lucidi, Noctis aura quem relinquit, spargit umentis aquas*. Quem locum ab hoc tantum apparet distare quantum caelum a terra, ut non possit praesidio esse ei scripturae quam Pithoeus et Lipsius excogitauerant. Immo uero si miram in ordinandis uocabulis simplicitatem poetae considerauerimus, qua admodum propinqua inter se collocare solet uinculis conexa grammaticis, non poterimus quin *Romuli patrem* efferamus coniuncte. Vides igitur quam uiri docti infeliciter omnes emendare hunc uersum tentarint, quibus infelicius etiam explicandi *matrem* uerbi periculum Crusius fecit, nomine hoc Liuiam uocari opinatus. Memoria autem librorum aut per litterarum deprauationem orta est ut lenior adhibenda mutatio sit, aut librarii debetur ingenio *pudicam uirginem* cuius u. 71 mentio facta erat

interpretantis *Romuli matrem*, unde non sine specie ueritatis hoc tamquam explanatoris additamentum prorsus expellendum esse longeque aliud scripsisse poetam possis conicere. Et totius quidem huius uersus sententia haec est, ut etiam imperatores Romanos diuina prosapia esse indicetur: itaque adiutrice Venere poeta Martem praedicat cum primordia cuncti populi Romani, quorum Ramnes et Quirites memoriam repraesentant, tum praecipue id genus seuisse quod in posteriores Romanos imperium haberet prosperum ac propitium. Neque igitur dubito quin nepotem Caesarem significauerit diuum Iulium, qui imperatoriae potestatis auctor ferebatur nomenque Caesareum primo gentilicia hereditate, tum per successionem honoris subsequentibus Augustis tradidit. Quod si uerum est, ante Caesarem nescio equidem quemnam alium nominatim potuerit poeta designare nisi Romulum regni et ciuitatis Romanae parentem: *unde Ramnes et Quirites proque prole posterum Romulum patrem crearet et nepotem Caesarem*. Quam coniecturam hactenus commendare licebit, ut non probabiliorem alius inuenerit.

Ruralem Venerem canere poeta coepit tertia stropha quae est quattuor uersuum: quorum postquam ultimo florum mentio facta est, quarta stropha *quae tertiam* aequiperat et secundae respondens *quinta spectant* ad deam dominamque floris,

quibus Paphie uocabulis appellatur in εἰδυλλίῳ rosae quod inter Ausoniana editur XIV. In uersu autem 21 duo uerba mihi persuasi non recte legi, quamquam editorem nullum offenderunt, ne Lipsiensem quidem qui in proximis uersibus adeo ineptiuit ut miserandus magis quam ridendus sit. *Virgines* enim papillas praue Lipsius scripsit interpretatus 'nondum oppressas et maritas', quae coniectura uirum eruditum non excultae fuisse elegantiae ostendit. Flores, qui nodis explicatis sese pandunt ut pleni efflorescant, componit poeta cum uirginibus quae nuptae uestem soluunt atque papillas: itaque uirgines intellegi oportet flores, quomodo planissime u. 22 *uirgines rosae* dicuntur, papillae autem, id est nodi florum, nequeunt uirgines appellari, sed uirgineae. Atqui in ambobus codicibus perspicue expressum est *uirgineas*, ut caussa quae Lipsianae mutationis fuerit mihi non appareat. An metri gratia factam eam esse et probatam reliquis omnibus arbitremur? At quid poeta in mora habuit, quominus spondeum quem in altero dipodiae pede ponere trochaei loco adsuerat permutaret dactylo uel anapaesto? Anapaesto utebatur u. 76 *rura Venerem* sine ulla dubitatione, uidetur usus esse u. 23 *facta Cypridis:* dactylus est u. 10 *inter et bipe-* et u. 17 in secundo pede versus *en micant lacri-*, quem ex lubidine Scriuerius sic mutauit: lacrimae micant. *Quo exemplo* cum *mane* uirgine- ab proprio

huius poetae usu non magis alienum esse eluceat quam a communi lege uersuum, nihil est quod librorum auctoritatem deseramus. Verum restat in eodem uersu mendum quod utinam eadem facilitate tollere possem qua mihi patefacere licet: *humenti* enim non scripsit poeta. Largior equidem potuisse fieri, ut post superiores illos uersus quibus humescentes rore flores fusius describebantur, scriptor quamuis artificiosus non inueniret aliud epitheton quod peplo adiceret grauius atque magis peculiare quam inane illud *humenti*; hoc tamen concedi haudquaquam debet ut illi adsignetur tam fatua atque puerilis, immo etiam insana notionis eiusdem in eodem enuntiato repetitio *humor papillas soluit humenti peplo*. Insanam autem ideo dixi, quia adspersus demum humor ille tegimenta florum humectat. Sententiae imaginisque si rationem habueris, non improbanda librorum uideatur haec scriptura *tumenti peplo*, quae tamen pariter ac *turgenti* metricae legis certa ratione refutatur. Qua quoniam molossicum (uel creticum) uocabulum anquirere iubemur incipiens a uocali, aliquam habemus normam ad quam dirigenda emendatio sit.

Ab uniuersis floribus sexta stropha separatur rosa quam et Veneri sacram Romani habebant, quode idyllium illud uideas, et proprium ueris florem, *quod liquido* Cicero confirmat C. Verrem accusans, *quod ueris* initium non a fauonio neque

ab aliquo astro notasset, sed cum rosam uidisset, tum incipere uer arbitratus esset. Hac de stropha primum adnotabo, quod documento sit eis quorum obstinationem dubitandi nondum conuiceram, quam recte transpositis uersibus partis carminis mediae principia a u. 63 duxerim: medium ultimae huius strophae uersum 24 non syllabarum tantum in pedes partitione pedumque aequabilitate sed etiam ipsius conformatione orationis esse simillimum poeta ei uoluit, qui primae medius erat u. 65, si quidem de industria hic *perque*, illic *deque* ter posuit: *perque caelum perque terras perque pontum subditum* et *deque gemmis deque flammis deque solis purpuris*. Quod idem artificium in aliis duabus strophis adhibuit cum u. 33 et 54 inter se respondentes exaequaret in ternas particulas uerbis utriusque uersus discriptis et uno eodemque uocabulo in tertia quaque particula repetito: *neu quid arcu neu sagitta neu quid igne laederet* et *quaeque siluas quaeque lucos quaeque fontes incolunt*. Nam si quis casus potius ludibrio quam consilio scriptoris nata haec esse contenderit, eum qui redarguam nescio, sed hoc scio, caligare eum in sole. Praeterea extremum uersum corrigam, qui ut uulgo legitur: rosa

cras ruborem, qui latebat ueste tectus ignea,
unico marita *nodo* non pudebit soluere

ita non factus a poeta est. Etenim duplici ratione

nodo ablatiuum explicare licebit, uel sic: rosa ruborem soluet e nodo, ut ex nodo rubor emergat, uel sic: rosa ruborem soluet in nodo, id est ut nodum compleat. Sed siue hanc sententiam siue illam amplecteris, adiectum *unico* uocabulum quod aut opponitur pluribus aut pro eximio usurpatur, inutile et superuacaneum est, indignum utique huius poetae argutiis qui in depingendis rebus illis naturalibus propria et significantia uerba eligebat. Illo autem epitheto rosei nodi descriptio quomodo amplificatur planiusue exprimitur? Erat igitur qui '*unico* sensum idoneum habere' merito negans a Bouherio propositum *uuido* praeferret. At ego poetae non credo cum inde a u. 15 flores cunctos rore lucido a Venere conspergi uberius dixisset, hoc rursum loco humoris illius cogitationem placuisse instaurari. Porro quoniam u. 25 ruborem ueste tectum ignea latuisse perspicue et uenuste narrauerat, quid in proximo uersu attinebat referre ieiune, ruborem solui ex uno nodo? Vnde alteram explicationem non esse probabilem consequitur; alteram autem hanc: rosa ruborem soluet in formam nodi, etsi grammatica lex non prohibet, tamen quia non congruit cum natura, debemus aspernari. Iam uero sententiam scriptoris accuratius indagantes translatum ad rosas uidemus totum ritum nuptialem: cingulum *soluit uirgo cum* maritatur. *Marita* enim recte *Salmasianus liber* tradidit nominatiuo casu, non

[redacted]

uocatiuo ut Salmasius statuebat poetam adloqui ipsam rosam ratus: in Pithoeano cum *marito* legatur, infeliciter *marite* Pithoeus et Douza *mariti nodo* 'ut sit ὑφέν' tentarant. Neque in translatione illa quidquam desideratur praeter hoc unum, cuinam nubere iussa ruborem rosa soluat. Ecce tibi Salmasiani haec scriptura *noto*, qua quid cogitari possit elegantius non intellego: noto vel austro, tepido atque humecto vento nubens folia sua expandit rosa. Nam in compluribus apud uarios populos atque etiam nostratium poetarum carminibus haec imago reperitur, ut aurae uel uenti quorum leni afflatu flores mulcentur tamquam amatores eorum maritiue effingantur. Quam eandem Peruigilii scriptorem sic expressisse audeo adfirmare:

cras ruborem, qui latebat ueste tectus ignea,
unico *noto* marita non pudebit soluere.

Inuerti nempe *marita* et *noto* uerborum ordinem necesse est, quod prior huius syllaba corripitur. Vestigia autem transmutationis a librario profectae nescio an etiamnum in corruptis litteris supersint, quibus prima duo istius uersus uocabula terminantur, cum *unica marita* Salmasianus, *unica marito* Pithoeanus exhibeat. *Nodo* uero quod est in Pithoeano, eidem errori debetur, quo u. 15 *nodos* in *notos* et totos deprauatum esse uidetur; *nam* quo saepius illum locum perpendi, eo ma-

gis meum iudicium inclinabat in amicum Scriuerii, qui *notos* in *nodos* correxit. Quod uerbum quae subsecuntur *penates* uel *pentes* litterae, eas cum alii mutauerint inepte tum sine probabilitate Bouherius ex *rubentes*, Heidtmannus ortas ex *tumentes* esse existimauit. Hoc certe mihi constat, nouissimam eius loci enarrationem quam Freius p. 200 proposuit, non modo magis contortam quam Wernsdorfianam sed etiam uitiosam esse, quia surgentes papillae si urgentur *in* penates, non erupturae sunt ex penatibus, sed eos intraturae, uelut hostes cum in oppidum et naues cum in breuia et acus cum in iecur urgentur, ut ex Frei sententia dicere scriptor debuerit *urget e notis penatibus* aut saltem *aduersus notos penates*. Sed ut ad eum uersum de quo agitur redeam, *unico* adiectiuum non corrigi in *uuido* oportet quod sane alienum non est a noto, sed explicari ex poetae consilio. Qui cum Venerem caneret non lasciuorum amorum auctricem uerum quae animalium uiuorumque genera omnium procreauerit et propaget, securae coniugum fidei uim ac pondus addere non negligebat. Quam ob caussam u. 82 ubi succubantes genistis tauros commemorauit, tutum quemque esse ait quo teneatur coniugali foedere et u. 83 *subter umbras cum maritis ecce balantum greges* nullis litibus perturbati *matrimonii felicem* depingit tranquillitatem. Eandemque *hoc uersu* rem spectans cras rosam ru-

borem suum *unico* coniugi, noto sine uerecundia soluturam esse pronuntiat.

Quoniam autem ad finem huius disputationis et totius peruenimus hymni, quo cur de floribus atque rosis tot scriptor uerba fecerit facilius cognoscatur, festum illud peruigilium Veneris paucis absoluam, praesertim cum interpretes prope omnes longinqua ac remota scrutati id quod ante pedes erat, ut fit, praetermiserint. Qui hoc maxime studio incensi, ut urbem inuestigarent in qua celebratum peruigilium esset, fere lauisse laterem uidentur. Sine ratione Wernsdorfius actum illud esse a populo Romano tabernaculis positis in insula Tiberina inter urbem et Ostiam sita opinabatur et Muellerus, qui incertas opiniones quasi serie colligans P. Annio Floro, cuius de Vergilio oratore an poeta declamatio nuper inuenta est, a Spartiano Charisioque traditos uersus et epigrammata ex Salmasiano libro anthologiis Latinis immixta et Peruigilium hoc adscripsit, Tarraconensi Hispaniae coloniae destinatum a Floro hoc poema fuisse sibi persuaserat p. 29. Neque Heidtmannus p. 10 non iusto confidentius hanc sententiam tulit: 'in stropha quinta Hybla tam aperte commemoratur, ut priores interpretes quo pacto huic Siciliae oppido carmen denegare potuerint, uix intelligatur'. Ni mirum u. 49 *Iussit Hyblaeis tribunal stare diua floribus* non in campo Hyblensi erectum tribunal indicatur uerum floribus extructum Hyblen-

sibus, cuius epitheti caussam recte Muellerus p. 30 inde enucleauit, quod Siciliae illa regio florum copiosa uarietate et pulcritudine excellebat. Neque magis mirum quod post illum uersum u. 51 iam ipsam poeta Hyblam adpellat, ut totos fundat flores qui ad exornandum sublimem thronum conuehantur. Relinquitur igitur unus u. 52 *Hybla, florum sume uestem, quantus Aetnae campus est,* qui si ita traditus esset a libris, Heidtmanni in sententiam concedere uix dubitarem. At Crusiana haec coniectura neque obscurae utriusque codicis memoriae satis facit nec maiorem ab sententiae elegantia commendationem habet quam Pithoeana *rumpe uestes* a Lipsio et reliquis mutata in deterius *rumpe uestem*. Quocirca ille uersus quoad non cum probabilitate emendatus est, Hyblensem poematis huius originem probaturo ualde infirmum erit praesidium. De oppido ergo nihil compertum habemus: de instituto uero illius peruigilii, licet ipsos dies definire nequeam, certius tamen aliquanto quam alii mihi efficere uideor ex carmine posse. Inter quos Wernsdorfius suo arbitratu actum id tribus noctibus esse finxit a kalendis Aprilibus, quibus myrto coronatae feminae sacra Veneri fecisse traduntur (cf. Beckeri antiq. Rom. IV p. 448) ad III. nonas Apriles. Neque minus Heidtmanni sententia uidetur commenticia, qui p. 16 hoc peruigilium ut *Hyblaeum Corinthiorum* Aphrodisiis ab Appuleio

in X metamorphoseon libro narratis adsimilans praepropero iudicio pridie ueris noui hunc in modum celebratum esse statuit, ut Veneris, quae tamquam dea potentissima coleretur, etiam persona in scaenam prodiret cum choro Cupidinum Gratiarumque saltatura. Qua re in lusum deductus satis ridiculum est, ut strophas carminis in duas cateruas, Cupidinum uel iuuenum alteram, alteram Gratiarum uel uirginum dispertiretur: qualem opinionem ne Muellerus quidem sibi excussit radicitus, nam quod carmen hoc inter amoebaea esse referendum p. 31 praecipit, aut amoebaeum nuncupauit insolenter quodcunque carmen intercalares uersus habet aut similiter compositum a Theocrito Thyrsidis de Daphnide cantum non meminerat. Omninoque, ut in transcursu hoc addam, tantum abest ut popularis aliquando cantilena factum sit ut ne semel quidem cantari Peruigilium a choro potuerit, quippe quod unius poetae propriam naturam ingeniumque sequatur u. 89 eqs. Nos igitur totius carminis ratione habita primum hoc tenemus, quod postquam ipse inueni, a Crusio olim obseruatum uidi, Venerem cuius sollemne a poeta indicitur esse Genetricem; perperam autem ille ad ludos Veneri Genetrici ab Augusto institutos poema pertinuisse addit, quia eodem uel potius maiori iure referre possumus ad eandem deam ab Hadriano dedicatam (cf. *Prelleri* mythol. Rom. p. 391 n. 3). Tum uero hoc

festum Veneris Genetricis, ut ueris dea uernorumque omnium erat, cum ueris noui sollemni consecratione coniunctum fuisse concludo ex u. 1 *uer nouum*, u. 21 *humor ille mane uirgineas papillas soluit humenti peplo*, u. 22 *ipsa iussit mane totae uirgines nubant rosae*, u. 25: rosa *cras ruborem non pudebit soluere*. Neque enim crastinus dies cur praecipue in floribus dicatur ualere penitus perspiciemus neque in summa ampliorem florum ac rosarum descriptionem accommodatam ad hoc carmen consiliumue eius simplex et unum iudicabimus, nisi una cum Veneralibus celebrata tunc esse Floralia statuerimus aut Rosalia, qualia Capuae agebantur et posteriore aetate fuisse Romae uidentur (cf. Prelleri mythol. Rom. p. 381 n. 5). Itaque artificis uirum ingenii credo scienter duorum sollemnium praedicationem ita coniunxisse, ut alterum duceret ab altero. Quod si ita est, in dubium etiam titulus deuocari uidetur ex Salmasiano libro depromptus *peruigilium Veneris*. Quamquam ne illum quidem inscriptum nobis persuadebimus a poeta esse, quem qui primi huius poematis notitiam habuere, Erasmus et Gyraldus usurpauerunt *de uere* siue *uer*. Quod nomen num Aldi Manutii illud exemplar 'in antiquissima quadam Galliae bibliotheca repertum' prae se tulerit, quod non liquido illi dixerunt, an ab exordio ipsius carminis repetiuerint, ambigitur.

Mediam partem poematis ita concludi uidemus, ut crastino die splendorem ac magnificentiam diuini numinis exemplo manifestissimo proditum iri indicetur. Facilisque poetae ab extrema hymni stropha, cuius hoc initium posuerat *ipsa iussit mane totae uirgines nubant rosae* ad tertiam partem erat quam ab similibus uerbis exorsus est *ipsa Nymphas diua luco iussit ire myrteo.* Cuius prima et tertia stropha octonis, secunda et quarta duodenis uersibus constat, quoniam eum uersum qui est 38, inter 39 et 40 recte collocasse Lipsiensem editorem supra diximus. Hoc enim loco perturbatum librum primarium fuisse eo uidetur comprobari quod in Pithoeano codice u. 40 totus deest, nisi errorem hunc mauis statuere similitudine ineuntis huius uersus cum 41 creatum. Est autem u. 40 sic scriptus in Salmasiano: *ipsa uellit erogare* id est *uellet te rogare, si pudicam flecteret*, quomodo nisi me omnia fallunt non scripsit poeta. Quod ut demonstrem, paucis de uersu disputabo subsequenti *ipsa uellet ut uenires, si deceret uirginem*, quem post Weitzium Riuinus quam male interpretatus sit 'ipsa Venus quoque Dianam cuperet adesse inuitam sacris suis', sententiarum ostendet ordo. Missae a Venere uirgines orant Dianam ut ferarum stragibus se abstineat et nemore in quo celebraturae peruigilium *sint cedat.* Hanc autem atrocitatem qua carere il-

lam sacra laetitia uolunt sic excusant: frustra enim ut ipsa interesses te precaremur, uel ut aliis uerbis idem significem, uellet dea cuius nomine oramus ut ipsa uenires, si uirginalem tuam seueritatem deceret. Apparet igitur *ipsa uellet ut uenires* idem ualere atque *uellet ut ipsa uenires* nec Venerem *ipsa* pronomine sed Dianam appellari. Iam uero superiore uersu cum eadem omnino sententia exprimatur, *ipsa* uocabulo item ad Dianam relato necesse est corrigi *ipsam uellet te rogare* aut ut ad trochaeos uerba aptentur, *uellet ipsam te rogare* id est inuitare. Quo facto principia uersuum 40 et 41 exitusque simili collocandi ratione oppositi inter se sunt: *uellet ipsam* — *ipsa uellet* et *si pudicam flecteret* — *si deceret uirginem*. Haud equidem nescio *ipsa* pronomen non adhiberi in reliquo carmine nisi ad indicandam Venerem, uerum illa tamen exempla non tanti aestimari debent ut hoc quod cogitur ex scriptoris cogitatione diluere possint.

Perscripserat tertia stropha poeta sacri conuentus quem Venus aget plenum apparatum: floribus suggestum tribunal adsessurasque Gratias et cum Amore Nymphas Oreades et Dryades et Naiades. Quoniam igitur ipsa dea in eo est ut compareat, animantium turba praestolans aduentum atque erecta in eius exspectationem hoc modo *sollemne auspicatur*, ut partim iuxta tribunal ac*cubet pacata partim* cantus laetos promiscue ef-

fundat. Itaque intellegitur quam ad u. 56 apte ultima poematis stropha accedat a librariis cum u. 79 coagmentata. Tum uero ad exitum scriptor properat maestum atque miserabilem, ex quo Wernsdorfius uersum 89 sic interpretans 'quando erit illa dies, qua excusso, qui me hactenus tenuit, torpore uel metu audeam carmen aliquod prodere publice' Peruigilium hoc conclusit esse 'e primitiis et iuuenilibus poetae, quisquis ille fuit', me iudice parum caute uel prudenter (cf. Muellerus p. 27). Immo dubitandum potius mihi uidetur, an adempta imperatorum saeuitia libertas loquendi animo poetae obuersata sit, ut has querellas cum illis componas a quibus initium Tacitus fecit uitae Agricolae, cuius cap. 3 similiter silentio quod diuturna necessitas iniunxerat incondita ac rudis uox excusatur. Quod licet liquido confirmari nequeat, propius tamen a uero abesse credo quam si hoc significasse poetam statuas, sua se sponte ac uoluntate tam diu tacuisse. Reliquum autem est ut de explicando et emendando uersu 90 mentionem faciam. Vbi quod legitur chelidonis nomen, proprium id esse mulieris mirum quam ridicule Wernsdorfius olim et nuper Lipsiensis editor alucinati sunt. Atque ille quidem iam a docta muliere compositum carmen deprehendere sibi uisus memorabili hoc argumento nititur 'nisi alludere hoc modo auctor ad nomen suum uoluit, debuit omnino aliorum poetarum

[redacted]

more philomelam uel aedonem prae chelidone nominare, quae sola dulcis cantus et carminis exemplum est'. In quo praecepto homo quantumuis litteratus falsus est omnino: nam ut unum exemplum proferam, quo hirundinum cantum tamquam prouerbio increbruisse demonstratur, in uenustissimo illo titulo Homonoeae conlibertae et contubernali posito ab Atimeto haec habes: *ἡ πολὺ Σειρήνων λιγυρωτέρη ..... ἡ λαλίη φαιδρή τε χελιδονὶς ἔνθ' Ὁμόνοια κεῖμαι.* Plura desideranti tum Burmannus A. L. IV 146 tum Osannus in sylloge inscriptionum p. 493 uersus illos enarrantes suppeditabunt. Lipsiensis autem ὁ ψευδαλαζών portentoso hoc somnio usus est 'uidetur igitur Chelidon nomen esse mulierculae illo tempore satis celebratae, de qua narratio quaedam, quae quo pacto illa silentium rupisset, peculiari ratione referret, ferebatur'. Etenim 'si Chelidon appellatiuum esset, non intelligeretur, quidni poeta dixisset *uelut hirundo*, quod facile in metrum coaluisset'. Quidni, inquam, idem u. 7 *fulta solio splendido* dicebat sed *fulta sublimi throno,* quidni u. 65 *perque subditum mare* sed *perque pontum subditum,* quidni u. 85 *stagna olores perstrepunt* sed *stagna cycni perstrepunt?* Sin autem haec uerba Graeca utpote magis usitata non debere comparari isti uideantur, num nouasse *prorsus insolenter* chelidona putabit Pentadium? *cuius de ueris aduentu* hic uersus est (apud Meye-

rum anth. lat. 252, 17) *nota tigilla linit iam garrula luce chelidon*, quode Burmanni A. L. uol. II p. 355 inspiciat. In uniuersum enim posteriores poetas hac quoque re desciuisse ab sermonis Latini integritate obseruamus ut studio et amore Graeca prae Latinis uocabulis deligerent. Itaque Peruigilium qui scripsit, uulgari hirundini exquisitius praetulit nomen chelidonis. Verum *chelidon* et u. 7 *throno* extulerit an *celidon* potius et *trono*, in quas scripturas libri consentiunt, uel propterea ignoratur quod aetas poetae non certis finibus circumscripta est. Iam uero quemadmodum emendandus hic uersus sit, quaeritur cuius priore in parte *Quando fiam ut caelidon* uel *Quando faciam ut celidon* uitiosus traditur hiatus a Salmasiano et Pithoeano libris. Ante omnia autem *fiam* equidem moleste fero posthaberi a plerisque cum neque ab Salmasiani auctoritate discedendum sine necessitate sit et uerborum expedita celeritas quodam modo supprimatur tam longo amfractu *quando faciam ut tacere desinam?* Efficaciorem certe orationem habebis, si *ut* in *et* correcto approbaueris Salmasiani testimonium *quando fiam ut chelidon et tacere desinam?* Hiatus tollendi caussa *ego* primus interposuit Salmasius, sed siue ante siue post *fiam* inseritur, uereor ut mollitie numerorum insignis poeta hanc sibi duarum deinceps syllabarum elisionem concesserit. *Nec Rigleri* coniecturam, qui ut ante chelidon dem-

psit et *ego* post *quando* adsumpsit, probabilem existimo. At non cuncter propositam ab anonymo Lipsiensi *ceu* particulam usurpare, nisi quod est facilius, id etiam potius habendum uideatur. In mentem enim iam Riuino uenerat ut 'unica restituta postliminio litterula' scriberet *quando fiam uti chelidon.* Perraro quidem in hoc carmine reperitur synaloepha—bis in intercalari uersu *nunquam amauit quique amauit*, in u. 23 *deque Amoris*, in u. 30 *Esse Amorem,* in u. 77 *Ipse Amor:* ex u. 22 *mane ut udae* Orellius suo iure expulit—atque in priore dipodiae pede ubique. Hanc tamen rem quominus multum ualere iudicem, non solum numero uersuum impedior satis exiguo uerum eius etiam exemplo poetae, qui et aetate parum distare a Peruigilii scriptore uidetur et metro usus eodem est. Flori dico consimilia huius poematis epigrammata a Muellero p. 34—36 conscribillata, quorum in uno hic uersus inest: *quippe malim unum Catonem quam trecentos Socratas.* Itaque nec Riuini inuentum *quando fiam uti chelidon* nec Thomasii *nec me Apollo respicit* ab arte poetae puto aliena esse.

Iam postquam uniuersum carmen legi et ut potui emendaui, quomodo grammatici antiqui loquebantur, non dispicere me addo, qua ratione cum alii tum Bernhardius in historia litterarum *Rom. p. 516 esse* illud ex Graeco translatum opinatus sit. Nam nec festum illud peruigilium ab

eis temporibus abhorret quibus inuecta ab exteris gentibus mystica sacra per omnes fere imperii Romani prouincias increbuerant maximeque diuersae religiones permiscebantur, neque artificiosa carminis compositio et orationis cultus non cadit in eruditos poetas Romanos qui circiter Antoninorum aetate floruerunt, nec singuli uersus Graecum produnt exemplar. Frustra Wernsdorfius composuit cum uersu 89 Meleagri uersum hunc *πῶς οὐ χρὴ καὶ ἀοιδὸν ἐν εἴαρι καλὸν ἀεῖσαι*; et Muellerus p. 26 ubi Wernsdorfium eam ob caussam uituperauit ineptissime ad uerbum effictos uersus 53 et 54 dicit ex hymni quarti Homerici his uersibus *ἤ τις Νυμφάων, αἵτ' ἄλσεα καλὰ νέμονται καὶ πηγὰς ποταμῶν καὶ πίσεα ποιήεντα* Proclumque uersui 63 contendit de Venere sic canentem — *μέγαν οὐρανὸν ἔνθα σέ φασιν ψυχὴν ἀενάου πέμπειν κόσμοιο θεείην.* Qui si meminisset Terentianum illud 'denique nullumst iam dictum quod non dictum sit prius' non dubitaret quin ex huius ipsius poetae animo et mente profecta haec omnia sint. Neque Paldamum morabimur cuius Heidtmannus p. 11 haec uerba descripsit 'nescio (etiam) an Graecam originem illud indicet Veneris cognomen *Dione*, a solemni cantu Romanorum sane alienum, licet ab Horatio Ouidio aliis saepenumero usurpatum, cui *chelidon* uox u. 90 et productio paenultimae in *Romuleas* u. 72 ex Graeco fortasse uerbo nata annu-

merari potest. accedit denique Dianae commemoratio u. 38, quae item Graeco nomine *Delia* inuocatur, ab Siculis ut σώτειρα religiosissime culta'. At non fuit sollemnis cantus Peruigilium: chelidona et aedona et similia etiam alii usurpabant Romani: Romuleas nuptias ita diuellisse nos confidimus ut non iterum concilientur: Deliam deam fugaces lyncas et ceruos cohibentem arcu Horatius celebrauit. Quin immo Romana poematis huius origo, nisi praeiudicata opinione ducaris, liquido tibi confirmabitur uersibus 69—74. Similiter uero illi errarunt qui Romanorum poetarum locos non nullos Peruigilii scriptorem expressisse aut Peruigilio illos esse usos sibi persuaserant. Nam ut ante oculos hoc carmen nemo habuit praeter Fulgentium, ita alios poetas imitandi studium nullum comparet, dum modo uersum 62 exceperis intextum a librario et uersum 85 quem ad memoriam uersus Vergiliani Aeneidis XI 458 *dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni* concedo deflexum uideri. Ex Calpurnii autem ecloga I Peruigilii uersum 81 depromptum esse, si quis circumspectam hac de re Orellii p. 218 sententiam expenderit, non audebit adseuerare. Denique qui certo hunc poetam nomine designauerunt, in hoc quidem friuolam sectabantur ratiocinationem, laudem tamen eo aliquam meruere, quod apud alios scriptores quae *huic poemati leguntur* consimilia sedulo conqui-

siuerunt, quippe quae ualeant ad determinandam poetae aetatem. Bene igitur de Appuleio monuit Heidtmannus, Wernsdorfius et Muellerus de Floro: nec Salmasius inepte supparem fuisse illum Solino adnotauit, cuius exordium Ponticon ad nostram aetatem durauit. Neque comparati te poenitebit Nemesiani qui in eclogis insignem cum Peruigilii scriptore ingenii et artis similitudinem prae se fert, non quo singulorum congruentia enuntiatorum magnum pondus haberet (cf. I 35 *omniparens aether et rerum caussa liquores* uel II 56 *Dione, quae iuga celsa tenes Erycis, cui cura iugales concubitus hominum totis conectere saeclis* uel IV 27 *et Venerem sensere lupae, sensere leaenae)*, sed quia ille quoque in distribuendis aequabiliter et quasi articulatim ordinandis carminibus elaborauit (cf. eclogam IV in qua decies hic uersus intercalatur *cantet, amat quod quisque: leuant et carmina curas)* et lectis uerborum coloribus, epithetis potissimum argute excogitatis, minutissimas quasque res curiose depingere solet (cf. inprimis Bacchi hymnum ecl. III). Itaque in temeritatis crimen ne incurramus, acquiescendum in hoc erit ut medio inter Florum et Nemesianum tempore, hoc est secundo uel tertio p. Ch. n. saeculo conditum Peruigilium esse statuamus.

[redacted]

Ea quae hactenus per uarias disserendi ambages protulimus ut uno in conspectu omnia uiderentur et carmen quem ad modum digestum a nobis est commode legeretur, totum in proximas pagellas transcribendum curaui. Simulque Salmasiani Pithoeanique librorum adieci discrepantiam secundum Orelliana exemplaria et unius cuiusque scripturae auctoritatem, quam ut accuratius aliquanto indicarem, factum usu est eius editionis quae Pithoei, Lipsii, Salmasii, Scriuerii, Riuini farraginem adnotationum complexa Hagae Comitum a. MDCCXII a Clerico, ut uidetur, emissa est. Hac enim Pithoeo complures deberi emendationes didici quas editores tribuere assueuerant Lipsio. Extremum nunc est ut quid sentiam de his uerbis exponam in Salmasiano libro praemissis *Incipit Peruigilium Veneris trocaico metro. sunt uero uersus XXII.* Quo numero quam Bouherius et Sarpius dementer abusi sint, tacere praestat. Sed Scriuerius cum cunctorum numero uersuum illum exaequaturus in XCII mutauit et primum carminis uersum intercalarem praecidit, ita adstipulante Heidtmanno ut tolli eum uersum iuberet qui in libris octauus est, quam sententiam Muellerus p. 42 merito explosit. Meum in hoc cum Scriuerio iudicium congruit ut primum uersum scriptum a poeta esse negem, qui si praeposuisset *illum, magnam* ineuntis carminis uim atque *impetum satis insipienter* debilitasset. Itaque

cum reapse XCII uersibus olim poema constitisse consentiam, nihil satis firmi uideo quod opponam Scriuerio. Verum ne altera quidem haec suspitio ueritatis omni specie destituitur, ut intercalarem uersum poeta quotiens repetiuerit uetustiorem librarium illo significasse numero coniciamus. Quod si ita est, XXII facili negotio in XIIII correxeris, quoniam primum uersum non est dubium quin in exemplis librarius adnumerauerit. Tertiam autem in quam olim incideram opinionem, duodenario restituto numero uerba illa *sunt uero uersus XII: cras amet qui numquam amauit quique amauit cras amet* una enuntiatione esse comprehendenda qua significaretur *duodecies hic uersus legitur*, rursus ipse abieci, quod tam complicatum genus dicendi non quadrare in librarii simplicitatem uidetur. Denique quia in re ualde dubia quaecunque possunt cogitari tamquam ὅλῳ τῷ θυλάκῳ effundere licebit, quartam addo, quae reliquis omnibus etiam praestantior uel ideo uidebitur quod e Romanarum historia litterarum repetitum istiusmodi στιχομετρίας exemplum nondum innotuit. Potest enim librarius, postquam uersus XXII illi a 59 ad 80 ex sede sua in alienum locum translati sunt, ipsum hoc adnotasse: Salmasianum autem qui scripsit, siue non intellegebat hanc adnotationem siue perscribere eum pigebat siue detruncatam inuenerat, posteritati non uerba eius nisi prima prodidit sunt uero uersus XXII . . . .

Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet.

Ver nouum: uer iam canorum: uere natus est Iouis: Aa
uere concordant amores: uere nubunt alites
et nemus comam resoluit de maritis imbribus.
cras amorum copulatrix inter umbras arborum
inplicat casas uirentis de flagello myrteo:
cras Dione iura dicit fulta sublimi throno.

Incipit Per. virgilium *(sic a secunda manu)* veneris trocaico. metro sunt vero versus. XXII. *Salmasianus*

1 amabit *correctum secunda manu S* cras amavit *Pithoeanus* *hic uersus praepositus a librario est* 2 ver natus*P* est Iovis *scripsi:* iovis est *S* orbis est *P* 3 amaiores *P* nubent *P* 4 conam *resolvet P* 5 amorem *P* 6 gaza *S* gazas *P*, *emendauit Pithoeus* virentes *P* mirteo S 7 fultas *sublime S* trono *SP*

Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet.
59 Cras erit quom primus Aether copulauit nuptias: a
60 ut pater totis crearet ueris annum nubibus,
in sinum maritus imber fluxit almae coniugis.
9 tunc cruore de superno spumeo Pontus globo
10 caerulas inter cateruas inter et bipedes equos
fecit undantem Dionen . . . .
Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet.

8 quinque *P* 59 *et sequentes uersus cum u.* 9 *coniunxit Heidtmannus, in hunc locum transposuit Muellerus* quom *scripsi:* quo *S* qui *P* ether copolavit *S* 60 totum *quod ex S Salmasius enotauerat, Heidtmannus* creavit *S* veris *Sanadonus:* vernis *SP* vernus *Pithoeus* 61 fluctus alma et *P* alme *S* *uersui* 61 *uulgo subiciuntur efficta e Vergili Georg. II* 326 *et* 327 unde fetus mixtus omnes aleret magno corpore *in quibus* Ut *P* flaetus *S* fletus *P*, *em. Pithoeus* mitus *superscripta* x *P* omnis *SP* alteret *S* 9 Tuno quiuore *P* superbo *S* super huc *P*, *em. Pithoeus* pont de glovo *P* 10 cerulas *SP* interetui (*uel* intereau) pedes *P* 11 Dionen *Salmasius*: dionem *S* dione *P* *continuant libri* de maritis imbribus *repetita e u.* 4 in marinis fluctibus Sanadonus

Ipsa uenas atque mentem permeanti spiritu Ba
intus occultis gubernat procreatrix uiribus
perque caelum perque terras perque pontum subditum
peruium sui tenorem seminali tramite
inbuit iussitque mundum nosse nascendi uias.
Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet.

Ipsa Troianos penates in Latinos transtulit: b
ipsa Laurentem puellam coniugem nato dedit
moxque Marti de sacello dat pudicam uirginem,
unde Ramnes et Quirites proque prole posterum
Romulum patrem crearet et nepotem Caesarem.
Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet.

Rura fecundat uoluptas, rura Venerem sentiunt: c
ipse Amor puer Dionae rure natus dicitur:

post u. 12 *uersus* 63—80 *collocaui* 63 vernas *P* adque *S* permeante *P* 64 ocultis *SP* gobernat procreatis *S* 65 Per quem caelum per quem *S* 66 tenderem *S* 67 nosce *P* 69 nepotes *S* nec potes *P*, *em. Scriuerius* latino *P* 70 Ipa *S* *induxi u.* 72 Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias *ubi* Rumuleas *P* ipsas *S* sauinis *P* 73 samnes *S* rames *P*, *em. Pithoeus* 74 Romulum patrem *scripsi exspectans dum quis meliora proferat*: Romoli matrem *SP* 76 facundat *P* 77 dione SP natu S

[redacted]

hunc ager cum parturiret, ipsa suscepit sinu:
ipsa florum delicatis educauit osculis.
80 Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet.

13 Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floridis: c
ipsa surgentes papillas de fauoni spiritu
15 urget in notos penates: ipsa roris lucidi,
noctis aura quem relinquit, spargit umentis aquas.
Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet.

17 En micant lacrimae trementes de caduco pondere: b
gutta praeceps orbe paruo sustinet casus suos:

78 perturiret *P* sinum *S* 79 deligatis *S* 13 gemmas *P* floridis *Rigterus:* floribus *SP* floreis *ed. Lipsiensis* 14 surgentis *P* turgenteis *Pithoeus* faboni *S* fabonis paritu *corr. sec. m. in* puritu *P* 15 Urguet *P* totos pentes *P* nodos *probabiliter amicus Scriuerii ut in* penates *lateat adtectiuum quode alii alia hariolabantur* ipsas *S* 16 relinquid *P* tumentis *SP, em. Pithoeus post u.* 16 *interieci uersum intercalarem* 17 En *Schulzius:* Et *SP quod non potest defendi nisi si u.* 18 anteposueris micanat *S* me canat *P*, *em. Lipsius* lacrimas S lacrime *P* deca dum *P* 18 preceps P urbe S sustine S

en pudorem florulentae prodiderunt purpurae: 40
20 humor ille, quem serenis astra rorant noctibus,
mane uirgineas papillas soluit umenti peplo.
Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet.
22 Ipsa iussit, mane totae uirgines nubant rosae: a
facta Cypridis de cruore deque Amoris osculis 45
deque gemmis deque flammis deque solis purpuris
25 cras ruborem, qui latebat ueste tectus ignea,
unico noto marita non pudebit soluere.
Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet. 49

19 En *Schulzius:* In *SP* pudore *S* florulente *SP* purpore *S* pupure *P* 20 Umor *P* astnx *P* notibus *P* 21 papilla solui tumenti *P* tumenti *S: corruptum est, post u.* 21 *interposui uersum intercalarem* 22 Ip˜ *P* manet *S* totae *Orellius:* tute *S* tuae *P* 23 Fusta *P* Cypridis *praeeunte Scriuerio Muellerus:* prius *SP* detque *uel* decque *P* 24 purporis *S* pupuris *Hauthalio teste P* 26 Unico *Pithoeus:* Unica *SP* Uuido *Boukerius* noto marita *scripsi:* marita noto *S* marito nodo P pudent *P*

Ipsa Nymphas diua luco iussit ire myrteo: Ca
it puer comes puellis, nec tamen credi potest
esse Amorem feriatum, si sagittas uexerit.
ite Nymphae: posuit arma, feriatus est Amor:
iussus est inermis ire, nudus ire iussus est
neu quid arcu neu sagitta neu quid igne laederet.
sed tamen Nymphae cauete, quod Cupido pulcher est:
est in armis totus idem, quando nudus est Amor.
Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet.
Conpari Venus pudore mittit ad te uirgines: b
una res est quam rogamus: cede uirgo Delia,
ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus
58 et recentibus uirentes ducat umbras floribus.

28 nimfas *SP* loco *P* 29 Et *SP*, *em. Pithoeus* comis *P* 31 In te *S* nimfe *S* nymfe *P* 32 est] e *S* nudos *S* durus *P*, *em. Pithoeus* 33 acuneo *P* digne *P* lederet *SP* 34 nimfe *S* nymfe *P* pulcer *S* 35 Est in armis totus *Scriuerius:* Totus est inermis *SP* in armis *correxerat Pithoeus* si.dē *cum rasura S* 37 Conpar iuuenis *teste Silligio P* 38 Unam *S* re *P* 39 ne nus *P* incruendum *P*. deferimus *Silligio teste P* tragibus *S* *u.* 58 *huc transtulit ed. Lipsiensis* rigentibus SP, *em. Pithoeus* vergentes P duo adumbra S

uellet ipsam te rogare, si pudicam flecteret:
ipsa uellet ut uenires, si deceret uirginem.
iam tribus choros uideres feriatos noctibus
congreges inter cateruas ire per saltus tuos,
floreas inter coronas, myrteas inter casas.
nec Ceres nec Baccus absunt nec poetarum deus.
detinenda tota nox est, peruiglanda canticis.
regnet in siluis Dione, tu recede Delia.
Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet.
Iussit Hyblaeis tribunal stare diua floribus.
praeses ipsa iura dicet, adsidebunt Gratiae.

40 *abest a P* uellet ipsam *scripsi:* Ipsa uellit *S* erogare *S*, *em. Salmasius* 41 uellit *S* ueniret *teste Silligio P* diceret *P* 42 chorus *S* coros *P* feriatos *Pithoeus:* feriatis *SP* feriantis *Scriuerius* 44 myrteo *S* mysteas *Hauthalio teste P* 45 Necteres *P* baccas *P* potearum *teste Silligio S* poetas um *eodem teste P* deas *P* 46 Detinenda *Heinsius:* De tinente *S comparatum a Salmasio cum Gallica locutione 'd'un tenant'* Detinent et *P* peruiglanda *Salmasius βίγλας et βιγλάτωρας comparans (cf. Italorum 'vegliare' et Gallorum 'ueiller'):* peruiclanda *S* peruigila *P ceterum neque Heinsii nec Salmasii neque aliorum coniecturae satis faciunt sed 'latet ὕπουλον ulcus'* 49 hyblei *S* ybleis *P* *tribuunt Hauthalio teste S* 50 Praesens SP, em. *Douza* dicit adsederunt *SP*, *em. Douza*

[redacted]

Hybla totos funde flores, quidquid annus adtulit:
Hybla florum sume uestem, quantus Aetnae campus est.
ruris hic erunt puellae uel puellae montium
quaeque siluas quaeque lucos quaeque fontes incolunt.
55 iussit omnes adsidere mater alitis dei,
iussit et nudo puellas nil Amori credere.
Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet.
81 Ecce iam supter genestas explicant tauri latus, b

51 Hibla *SP* totus fundet quidquid *S* quicquid *P* quotquot *Scriuerius simul posteriora uersuum* 51 *et* 52 *hemistichia permutans* annos *S* annis *P, em. Pithoeus* adtullit *S* 52 Hibla *SP* sume uestem *Crusius:* superestem *S* rumperes te *P* rumpe uestes *Pithoeus* sparge uestem *Salmasius* quant' *Hauthalio teste, Silligio* que' vant' *P* Aetnae *Pithoeus:* et ne *uel* et nec *S* ethne *P* Ennae *Lipsius* 54 silvas quae locus *S* silvasque locos *P, em. Pithoeus* queque montes *SP, em. Scriuerius* 55 omnis *P* mater alitis dei *scripsi:* pueri mater alitis *S itemque P nisi quod* alitas *habet* 56 nullo *P* amoti *P* *post u.* 56 *libri habent uersum intercalarem* (57), *tum uersum inter* 39 *et* 40 *interiectum* (58), *deinde quattuor uersus quos cum* 8 *coniunximus* (59—62), *denique quos uersui* 13 *praemisimus* (63—80). Quibus continuatur u. 81
81 super *SP*, em. Wernsdorfius explicant *Pithoeus:* explicat *SP* tauri Pithoeus: aonii SP

quisque tutus quo tenetur coniugali foedere:
subter umbras cum maritis ecce balantum greges.
et canoras non tacere diua iussit alites.
iam loquaces ore rauco stagna cycni perstrepunt:
adsonat Terei puella subter umbram populi,
ut putes motus amoris ore dici musico
et neges queri sororem de marito barbaro.
illa cantat, nos tacemus. quando uer uenit meum?
quando fiam uti chelidon et tacere desinam?
perdidi Musam tacendo nec me Apollo respicit:

82 tuus *P* cum iugali *P* faedere *S* federe *P* 83 valantum *P* greges *Pithoeus:* gregis *S* gregum *P* 84 canores *P* 85 stangna *S* quinni *S* cigni *P* 86 Adsonante aerei puellae supter *P* popoli *S* 87 putas *P* mus sico *S* 88 E et *P* reges *Silligius legisse uidebatur in P* queris *S* 89 quan vir *S* 90 faciam *P* uti *praeeunte Riuino Wernsdorfius:* ut *SP quo seruato alii* ego *inseri iusserunt* ceu *ed. Lipsiensis* caelidon *S* celidon *P* et *Bouherius*: ut *SP* taceret *P* 91 Perdimus *am sec. m. di superscripto S* Perdidimus antacendo nē *P* *Apollo Thomasius:* foebus *SP*

sic Amyclas, cum tacerent, perdidit silentium.
Cras amet qui nunquam amauit, quique amauit cras amet.

92 amiclas *S* amidas *P* taceret *SP, em. Pithoeus* perdedit *S*

DABAM FRIBVRGO BRISIGAVORVM KAL. DECEMBR.
CIↃIↃCCCLVIII

